



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

de qua inde sequitur in omnibus rebus praesentia, vide D. Thom. 1. pag. quaestio. 3. atque in eam q. Nostrum de Valentia, Vasquez, Soares, aliosque. Nullo modo Calvinianos, qui ita immensitatem verbo concedunt, ut re ipsa negent: Si enim Deus non est in omnibus rebus, non est immensus, imo ne adesse quidem possit, accedendo enim mutaretur. Vbi enim Deus non est aliquando, ibi esse nunquam potest. Vbi non est totus, ibi omnino nihil est.

VERSUS 10.

Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in caelo, & in terra.

QUESTIO I.

Quod regnum, quae Dei voluntas?

§. 1. DE regno Dei facilis est responsio. Ut enim ipse regnet per gratiam in animis nostris, non regnet peccatum in nostro mortali corpore, oramus. Quin etiam ad caeleste regnum suspiramus, petimusque dissolui, & esse cum Christo. Denique hoc petimus, ut Christus sit regnum, quo in aeternum regnaturus est, perficiatur; & daemon qui est rector, & Princeps tenebrarum harum, penitus dometur. S. Augustinus Serm. in monte, de manifestatione regni interpretatur, quamvis etiam de regno caelesti intelligat.

§. 2. Voluntatem Dei fieri petimus, non modo ut nos per omnia illi obediamus, sed ut nobis omnia contingant, quae Deo statuere visum fuerit. Quemadmodum Christus orabat, non mea, sed tua voluntas fiat. ita Augustinus Serm. in monte. lib. 2. Chrysostomus. homil. 20. Praecipue tamen agitur de voluntate signi, seu praecipis, ut quemadmodum in caelo omnes summa voluntate Deo parent, ita quoque nos faciamus, non carni, sed Deo seruientes ex animo. Mundi voluntatem abdicemus, diuinam scquamur; cum aliqui natura libertatis aulda, diuinam voluntatem ad nostram attrahere, nobisque conformare studemus. Nam 2. Timoth. 2. v. 26. captiuos improbos tenet daemon ad suam voluntatem. Voluntatem autem Dei est sanctificatio nostra. 1. Thess. 4. 3.

§. 3. Hinc apparet grauissimè eos errare, qui Dei voluntatem & praecipuum interdum pugnare affirmant, & praecipere Deum, quae fieri nolit. Disputatur illa quaestio à Vorstio & Piscatore in collat. Theol. lib. 14. Vorstiana est. [Quae autem à nobis fieri vult (Deus) voluntate inabsoluta, ea sapientissimè non fiunt: nempe, quoties praecipua ipsius contemnuntur: quippe quae sic à nobis seruari vult, ut simul tamen vel aliter euenire possit. Quo sensu rectè dicitur, Deum ordinariè conuersionem, & pietatem nostram, optare & desiderare; non autem ut sic dixerim, necessitare. Vide Deut. 5. v. 29. Psal. 81. v. 14. Esa. 84. v. 18. Ezech. 33. v. 11. & alibi passim.]

Opponit & regeit Piscator. [Hic primum conueniunt, fundantur 1. praecipua Dei, cum voluntate ipsius. Deinde implicatur contradictio. Nam si Deus vult (proculdubio velle, prae quidem loquendo) à nobis seruari praecipua, fieri aliter non potest, quin illa seruamus; ac proinde Deus non potest simul velle, aliter euenire possit. Tum quod hic dicitur de Dei desiderio, si proprie intelligatur, Deum omnipotentem in hominem impotentem transformari: quasi Deus aliquid desideret, aut velit, quod tamen effectum dare non possit.]

In locis autem hic allegatis, tale desiderium Deo tribuitur per d. Vorstii notam. Excepto loco Ezechielii, qui quidem ad propositum probandum nihil facit. Neque enim ibi dicitur, Deum velle, ut conuertatur impius: sed dicitur, Deum delectari, quum conuertatur impius.]

Equidem grauissimas in his blasphemias contineri Vorstius ostendit, deinde Arminiani, Lutherani & Catholici, adeo ut Vorstius idem queratur iustam occasionem dari Lutheranis & Pontificiis Deum Calvinianum traducendi. Omnino sanè. Si enim praecipua nobis proponit cum voluntate sua pugnancia, non ergo vult nos id facere, quod facere imperat. Cur enim id praecipit, quod fieri nullo modo vult? Praecipit igitur cum voluntate conueniunt: qui enim dixit: Non occides, noluit nos occidere. Sed ita noluit, ut tamen vellet, nos idem liberè nolle. Non enim necessitatem imposuit, sed legem. Itaque non sequitur: Deus praecipua sua vult à nobis seruari, necessariò ergo illa seruamus. Nam liberè à nobis seruari vult, ideo violare possumus: ita enim vult, ut si nos quoque velimus. Quod per voluntatem conditionatam optime Vorstius exponit, hac quidem in re Catholicis consentiens.

Quod ad desiderium, cuius mentionem facit Piscator, attinet, aliud non est, quam voluntas Dei inefficax, & conditionata. Non quia Deus potens non sit, ut id efficiat, quod desiderio optare dicitur: sed quia potentia, & virtus instabili ut illi vocant, non tenet ad peccando, vel impellit ad bene agendum. Sed ita gratia instruit, ut naturam non destruat, voluntatem autem, & ingenuam hominis liberi obedientiam requirat. Si enim caeco motu, & violento voluntates aguntur, nec praemium habet boni operis indeclinabilis necessitas, nec poenam, peccati inenitabilis coactio. Bruti enim instar voluntas ducitur, & trahitur.

§. 4. Piscator in comment. huius loci, voluntatem Dei nobis ait vel generaliter, & indefinite, vel specialiter ac definite reuelari. Generaliter per legem, & Evangelium. Specialiter per euentus, & reuelationes certis hominibus factas. Deinde grauem quaestionem proponit. [Sed grauior exurgit difficultas ex eo, quod Deus in lege sua vetuit omnis generis scelera & flagitia, ac proinde significauit se illa fieri nolle: Quae autem illa fieri permittit: permittit autem utique non nolens, sed volens: nam si simpliciter ac planè nollet, fieri non permetteret: Cum sit omnipotens ac proinde impedire illa possit. Hinc videri posset, Deum vnam, eandemque rem (puta scelus aliquod) & nolle & velle.]

Huic quaestioni respondet sceleratissimè. [Esti Deus scelera omnia permittit & quidem volens: tamen scelus nullum vult seu approbat, eoue delectatur: sed scelera omnia odit ac detestatur. Deinde licet absque impietate dici posse videatur, Deum velle scelera per accidens, & propter aliud, quatenus nimirum inferniunt ipsius gloriae illustrandae: tamen dici pie non potest Deum scelera velle per se & simpliciter, quatenus scelera sunt. Vult enim Deus Angelis & hominibus innotescere & ab illis praedicari suam iustitiam in sceleratorum poenis: Ergo hoc respectu & haec vult quoque scelera ab istis patrari: licet interim ipsa scelera abominetur. Sicut agrotus quispiam à pharmaco aliquo amaro hauriendo, per se quidem abhorret, sed tamen propter aliud, videlicet ob recuperandam sanitatem, bibere illud vult ac bibit. In illo tamen simili hoc est dissimile, quod agrotus alia ratione sanitatem recuperare non potest aut saltem posse non videtur: at Deus gloriam suam iustitiae patefacere posset alia ratione: sed hac ratione patefacere

Thomas Guter
in
+ Evangelia
Cv
18

„ patefacere illam ei placuit, teste Apostolo Roman. 9. vers. 22.

*Mala ex se,
nunquam
bene sunt.*

„ Cui respondet sect. 102. recte Vorstius. Malum,
etiam malum esse, cum bonus finis eius fingitur. Aliud
sanè est, malle potionem amaram sumere, quam
mori, quia non est in sumendo pharmaco peccatum:
aliud est peccatum malle, quam mori; nam potius mori-
endum est, quam peccandum. Itaque vere Vorstius.
[Exceptio tua nihil, inquit, contra hanc veritatem ag-
git: quia simile ipsum quod affers, de aegroto, & po-
tu amaro, &c. Plane dissimile est. Non enim aegrotus
hunc potum absolutè & primariè voluntate, seu pri-
mò & per se, vel intendit, vel procurat, &c. Multo mi-
nus ipsum morbum absolutè inquam vult; aut idcirco
eundem voluit, ut deinde potum hunc bibere pos-
set. Sed odio potius ac tadio morbi incitatus, quum
aliter ab eo liberari se non posse videat, potum ipsum
consequenter, & quasi conditionaliter, seu planè per
accidens, bibere vult; & tandem quasi nolens volens
bibit, ad maius scilicet malum evitandum, &c. At si
hæc omnia Deo applicanda sunt, infinitis absurdis im-
plicari te videbis. Nam ut alia nunc taceamus, tu ipse
nullam in Deo consequentem, aut conditionariam,
voluntatem agnoscis. Contra; sic Deum peccata fieri
velle statuis, ut ipse nos ad ea destinet: imo ipse ea
procurat; & quidem propter ipsum æternum exitum,
plerisque hominibus iam antè absolutè decretum, &c.
Neque illud negari potest indignum Deo esse, si ad eas
interdum angustias redigi dicatur, ut nolens volens
aliquid faciat, aut quasi ex impotentia, seu maius indi-
gentia, certis mediis alligatus sit, & peccatum ut pecca-
to, tanquam sibi necessario opus habeat, vel ad glori-
am suam patefaciendâ, vel ad salutem suorum procuran-
dam, &c. Vide Eccles. 15. v. 11. & seqq. Ut quidem aegro-
tus circa potum amarum, circaque morbum, se se habe-
re solet. Cetera tibi ipsi, & cordato Lectori, cogitanda
relinquo.

*Horribi-
lus Deus
Calvini-
starum.*

*Deus Cal-
vinistarum
durius agit,
quam si
puniret in-
nocentes.*

„ Quod si Piscator respondeat, Deum per se non dele-
ctari peccato, sed decernere ad exercendam iustitiam,
non soluit, sed stringit nodum. Nam gloriam suam o-
stendere vult in iustitia puniendi, & ideo ne poena sit
iniusta decernit homini exitum, & vult eum peccare,
impellit, cogit, satana tradit, ut ipsi aiunt. Durius est
hoc, quam si quasi summolure utens perderet inno-
centem: nunc enim & perdit, & ut iure factum sit, co-
git esse nocentem.

„ §. 5. Non igitur orare possunt Calviniani; Fiat vo-
luntas tua. Nam non possunt orare, ut fiat voluntas si-
gni, seu mandata eius perficiantur; negat enim Pisci-
tor, confutanda mandata, & voluntatem. Non ut
fiat voluntas beneplaciti, licet enim orarent, ut vellet
iam peccata & poenas; Nam plurima peccata fieri con-
stat, & Deo volente fieri.

„ §. 6. Quin alia ex causa Vorstius ostendit Calvi-
nianos rigidos orare non posse. Verba eius. Si quisquid
vult Deus, fit in mundo, cur igitur precari iubemur, ut volun-
tas Dei fiat in terra, sicut in celo? Calvinistas ergo orare
non posse docent ipsorum, doctores. Et revera anta-
gonista Vorstii, F. Broeckerus sic respondet, ut facile
appareat eum orare non posse. Verba eius. Resp. Nega-
tur consequentia maiori. Nam diximus illa, quæ fiunt in mun-
do, fieri duplici modo: simpliciter enim, & secundum quid.
Quicquid sit simpliciter, illud diximus Deum velle, quoniam
bonum est, & omne bonum vult Deus. Quod autem sit secun-
dum quid, malè nempe, hoc non vult Deus, quia malè, & pro-
pterea rectè precamur ut fiat voluntas tua, sicut in celo, sic etiam
in terra. Non, inquam, quia ita iudicat, orare potest.
Nam primo, nihil petimus, ut fiat eo, ut, quæ Deus
simpliciter vult iuxta hanc resolutionem. Hæc enim
Deus definit, hæc vult, hæc facit. Ut ergo non petimus
à Deo, nisi stultè, ut sit omnipotens, ita nec vilia volun-

*Cur orare
non possint
Calvinia-
ni.*

tas fiat, nam omnino de decreto fiet ut ille ait, simpli-
citer fit, nec panem nostrum petimus, quia exitus est,
quæ simpliciter fiunt, bonum enim est; nec vitam æ-
ternam, quia magnum bonum, quod nec oculus vi-
dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non
ergo petimus, ut nos negat, tueatur, &c. Sed nec de
eo quod fit secundum quid. Nam ut non fiat actus
peccati, quæ actus est, si ures bona, non petimus, hoc
enim vult Deus, & cum sit, iam fit voluntas Dei, &
semper fit.

„ Quid ergo petimus? ne fiant mala, quæ mala sunt,
restringitur igitur mirum in modum illa orationis do-
minicæ petitio. Fiat voluntas tua sicut in celo, sic etiam
in terra. Sensus enim est, ne fiant mala, quæ mala sunt.
Sed ne hoc quidem manet reliquum ut petamus. 1.
Deus decreto suo efficaci & absoluto vult fieri ac-
tum malum, ut opus est, verbi gratia, odium suum
bonitatis, at fieri non potest, ut cum hoc fit a creatu-
ra intelligenti, & liberè agente, separetur ab eo mali-
tia. Stulte igitur oramus ut fiat, quod fieri non po-
test. 2. Deus vult malum, ut causam damnationis
malum igitur ut malum. Quem enim ad exitum des-
tinavit, cum ad certos omnibus circumstantis deni-
ritos cruciatus destinavit, respondentes certis, eod-
em decreto definitis peccatis, hæc ergo voluit. 3.
Omnia bona, inquit, quæ fiunt, Deus vult, ma-
la ut mala non vult; Et quid est, non vult? Re-
spondeo de Calvini sententia. Non vult voluntate re-
velata; nam prohibet, non vult voluntate signi, nam signi-
ficat senolle. vult tamen voluntate arcana & omnia eo ordine
disposita, ut necessariis fiant. Quid igitur petitis, cum dici-
tis. Fiat voluntas tua? &c. Velenim hic sensus est, fiat vo-
luntas tua revelata; at hoc solidum, nam semper vetat
quod vetat. Vel fiat voluntas arcana; illa enim con-
traria est in malis revelata, at illa etiam semper fit.
Frustra ergo petunt, ut fiat voluntas. Quæ tota non
modo necessaria est semper, sed etiam omnium actio-
num bonarum, & malarum necessitatrix.]

VERSUS II.

*Panem nostrum super substantialem
da nobis hodie.*

QUESTIO I.

Quem panem petimus?

„ §. 1. **D**uplex interpretatio. Prima peti panem
nostrum spiritalem, sacram Eucharistiam. Tert. de orat. Cyprian. de oratione dominica. Am-
brosius lib. 5. de sacrament. cap. 4. Marius Vic. lib. 1.
aduers. Arianos. Athanasius de incarnatione. Hieron.
2. c. ad Titum. Cyrill. Catech. 5.

„ Altera; esse panem hunc quo vitam ducimus; Au-
gustinus lib. 1. de locut. ad Gen. Chrysost. homil. 20.
Theodoretus & plerique Theologi. Nec aliud ne-
gare videntur, sed spiritaliter interpretari, & ampliare
petitionem. ut Augustin. lib. 2. de temp. voluntatem
Dei interpretatur panem. Imo Cyprianus vitamque
expositionem habet in expositione orationis domi-
nicæ. Quod potest & spiritaliter, & simpliciter intelligi: quia
& uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam
panis vult Christus est. & panis hic omnium non est, sed noster
est: & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium &
credentium Pater est; & panem nostrum vocamus, quia Chri-
stus noster (qui corpus eius contrigimus) panis est. Hunc autem
panem dari nobis quotidie poscimus, ne qui in Christo sumus
& Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, inter-
cedente

*Panem
corpus
petimus.*

*Panem
corpus
petimus.*

*Panem
corpus
petimus.*

*Impia
Calvini-
na.*

*Imia
Calvini-
na.*

*Imia
Calvini-
na.*

*Panem
corpus
petimus.*